

benus Meinverci, & Theodorici fratris; sicut & Imadi Patherbronnensis Episcopi hic num. LII. Verum Witichindi locus Annal. tertio expressus, propius nos ad stirpem hanc deducit, cum Meinverci vicinos progenitores celebrare videtur in eobello, quod Otto Magnus, contra filij Lutulphi Archiepiscopi Moguntini factionem gessit. Nam rediisse, ait, in Saxoniam, amissis duobus principalibus viris, Immedo, & Meinwerco, quorum uterque icu sagittæ perierat, alter Magontia; alter expeditione Bavarica. Coronidem addit Adamus; qui Immedingorum nobilissima stirpis in Urvvano meminit; unde ille progenitus Meinverco Padereborna adhasit.

Meinwercus in Ecclesia B. Stephani Halverstad à parentibus oblatu. ] Ceterum Meinvercus, ut à teneris formaretur ad institutum vita, quam in Clericorum ordine parentes eum suscipere voluerunt, duobus in Collegijs, ubi florentissima tunc ingenijs, & artium cultura existeret gymnasia, vitam egit; Halverstadij, ubi elementorum rudet yrocinium posuit; Hildenesheimj, ubi præstantiorum artium, & doctrinarum fructu decerpit. Seminaria cultioris hujus disciplina Gallia deberi majores voluerunt, cum Halberstadiensis Cleri gymnasium Catalauno, Hildegrimo procurante; Hildeneshemensis, accersito Remis Gunthero, & ex Aulicensi Ecclesia Hildenesheimum translato, coaluisse tradunt Krantz lib. 1. Metrop. c. 10. & Annales M. SS. Et Alber. disertè in mag. Chron. Belg. ad an. 795, Hildeneshemem. Ecclesie primum conventum venisse, ait, à Remensi Ecclesia; Halberstadensem à Catalaunia.